

rata, quae ad hosce martyres pertinet, sed etiam ut, instituta collatione graecam inter et latinam recensionem, nova lux affluat isti non exigui momenti quaestioni commercii litterarii quod, praesertim in re hagiologica, tam frequens intercessit Graecorum cum Latinis. Ad quod praestandum eo vel magis movemur, quo rarius invenitur in codicibus antiquus textus graecus Passionis SS. Sergii et Bacchi, dum e contrario Metaphrasis libellus saepius praesto est. Cuius asserti sit unum, speciminis ergo, allatum argumentum: in Parisiensi bibliotheca nationali e viginti plus minus manuscriptis graecis libris qui nostrorum martyrum Acta continent, tres tantum meliorem recensionem praebent, longe autem maior pars Metaphrasticam opellam; simili modo in codicibus Vaticanis, septies reperies Metaphrasticum textum, semel tantum nostrum invenies.

Exscriptus est qui mox edetur textus ex codice Parisino graeco signato num. 1540, ubi legitur a folio 10^r ad folium 18^r. Sed infeliciter hoc in loco pessime habitus est codex; siquidem plura desunt folia, unum inter folia signata 14 et 15, duo vero inter 16 et 17, et unum denuo inter 17 et 18. Praeterea folium quod nunc 16 signatum est, notandum fuisset 15, et vice versa (1).

Lacunam quattuor foliorum, quae in codice 1540 desiderantur, supplese datum est ex eiusdem bibliothecae codice num. 1468, qui integram Passionem refert a folio 95^r ad 104^v; varietas lectionum quibus discrepat textus codicis num. 1540 sedulo collecta est, nec non cum ea parte codicis signati num. 520, nempe p. 65^b-68^b, quae quinque priores paragraphos sextumque non integrum praebet.

Praeterea textum Parisiis exscriptum conferendum curavimus cum duobus codicibus Bodleianis et uno Vaticano. Codices Bodleiani sunt codex Laudianus signatus n. 68, fol. 63^r-72^v (2) et codex Clarke n. 43, fol. 336-446 (3), quos egregia benevolentia excussit R. P. Herbertus Thurston, S. I. Codex Vaticanus iste est qui signatur n. 866, cui inest Vita SS. Sergii et Bacchi, fol. 40 ad 45. Huius codicis variantes lectiones maxima cum humanitate digessit nobis R. P. I. Cozzo-Luzi, S. R. E. vice-bibliothecarius.

Quod spectat ad illorum codicum aetatem, codex Laudianus exscriptus est saeculo XI, sicut et duo Parisini signati numm. 520 et 1468. De Parisiensi notato num. 1540 non una viget inter eruditos sententia, dum hunc ad saeculum XIII refert vetus catalogus saeculo proxime elapso confectus (4), novus autem nuper cura cl. viri Henrici Omont instructus ad saeculum XI (5), tandem vir cl. Max. Bonnet, saeculi XI vel XII eundem vult esse (6). Codex Clarke exaratus dicitur saeculo XII, codex vero Vaticanus saeculo XI vel XII.

In recensendis variis lectionibus ita distinximus sex codices de quibus dictum est, ut Parisinus 1540 signatus sit n. 1, Paris. 520, n. 2, Paris. 1468, n. 3, Laudianus vero n. 4, Clarke n. 5, et Vaticanus n. 6. Textum graecum hoc modo in paragraphos

(1) Cfr. *Catalog. cod. hag. graec. bibl. nat. Paris.*, p. 240. — (2) H. O. COXE, *Catalog. cod. manuscript. bibl. Bodleianae*, pars prima, p. 449. — (3) *Catalog. sive notitia mss. qui a cel. E. D. Clarke comparati in bibl. Bodleiana asservantur*, pars prior, p. 97. — (4) *Catalog. cod. mss. bibl. reg.*, 1740, t. II, p. 357. — (5) *Inventaire sommaire des mss. grecs de la bibl. nationale*, t. II, p. 85. — (6) *Acta Thomae*, p. ix.

disposuimus, ut earum partitio eadem esset quae in *Actis Sanctorum*, Octobris t. III, pp. 863 sqq.

Quanti sint Acta ipsa facienda, non opus est longiore sermone declarare, quoniam huius quaestionis disputatio per Cornelium Byeum nostrum iam fuerit dudum late ventilata (1). Iuvabit tamen recentiorum quorundam eruditorum opinionem in medium protulisse. Imprimis cl. vir Edmundus Le Blant, etsi posterioris retractationis vestigia nonnulla in Actis S. Sergii et Bacchi cogatur agnoscere, nihilominus ad illa saepius provocavit ut in priscorum Ecclesiae atque imperii romani mores indagaret (2). Nec dissimilem sententiam profitentur eruditi viri Paulus Allard (3) et G. T. Stokes (4).

Ut alias contigit, verbi gratia in Actis martyrum Scillitanorum et in Passione sanctarum Perpetuae et Felicitatis, novus textus graecus de SS. Sergio et Baccho vulgatus id exhibebit commodi, quod recensionis latinae a librorum mendis emundandae haud parum inserviet. Praeterea a tempore quo in *Actis Sanctorum* publici iuris facta est SS. Sergii et Bacchi Passio, plura sunt ad historiam, geographiam, ius civile, ecclesiasticum et militare pertinentia detecta, quorum ope melius quam antea licebit elucidare textum.

Primigeniae, quam edituri sumus, recensionis graecae Actorum SS. Sergii et Bacchi iam pridem facta est etiam versio syriaca, sed libera nimis, quam nuper vulgavit vir ven. Paulus Bedjan (5). Quoniam in Syria passi sunt martyres, haud erit abs re, praesertim ad locorum notitiam, istius versionis rationem habere.

Μαρτύριον τῶν ἁγίων¹ Σεργίου καὶ Βάχχου.

1. Μαξιμιανοῦ (6) τοῦ τυράννου βασιλεύοντος¹, πολλὴ κατείχετο
 πλάνη τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος· λίθοις γὰρ καὶ ξύλοις, ἀνθρώπων ἐπι-
 νοίαις², προσεκύουν καὶ ἔθουον, καὶ τῶν μαρτῶν ἀπεγεύοντο θυσιῶν. Οἱ

Sergius et
 Bacchus gra-
 tia in palatio

Tit. — ¹ καὶ ἐνδόξων μαρτῶρων τοῦ Χριστοῦ *add.* 5; μαρτ. τ. ἁ. μαρτῶρων Σ. x. B. 6.

1. — ¹ Βασ. Μ. τ. τυρ. 6. — ² ἐπινοίας 5.

(1) *Loc. cit.*, pp. 836-38, praesertim numm. 14, 15, 16, 19. — (2) *Les Actes des martyrs*, pp. 77, 109, 115, 146, 212, 262. — (3) *La Persécution de Dioclétien*, t. I, pp. 112-14. — (4) SMITH, *Dictionary of christian Biography*, t. IV, p. 616. — (5) *Acta martyrum et sanctorum*, 1892, t. III, p. 283-322. — (6) TILLEMONTIUS, *Mémoires pour servir à l'hist. eccl. des six premiers siècles*, t. V, p. 492, et BYEUS, *Act. SS.*, Octobr. t. III, pp. 838, 844, numm. 22, 44, malunt legatur nomen Maximini, Daiae nempe, qui ab anno 305 ad 313 Syriam moderatus est, potius quam Maximiani, Galeii scilicet, qui non nisi annis 296 et 297, belli Persici occasione, in Oriente commoratus est. At cl. vir PAULUS ALLARD, *La Persécution de Dioclétien*, t. I, p. 113, prorsus contendit passos esse martyres nostros anno 297, Galerio Maximiano regnante. Quod, nostro saltem iudicio, minime evincit. Etenim aperte satis innuitur insequentibus ἦν γὰρ τὸ δικάγμα κατὰ πᾶσαν πόλιν κ. τ. λ., SS. Sergium et Bac-